aquilonis accipiunt gentes torpente frigore infidelitatis nimius in
fidelibus poenarum terror. Cuius magnitudine solent aliquando
homines tremere. ac si ingenti corripiantur frigore. Deus in do
mibus eius cognoscetur .i. credetur per fidem. Alia translatio habet
in gradibus eius. Per gradus autem intelleguntur distinctiones carisma
tum et differentiae virtutum in singulis electis. qui sunt vivae do
mus dei. in quibus inhabitat et inambulat. Cum suscipiat eam .i. col
ligens eam ad se sponsam suam videlicet ubi ipse erit. vel etiam coniungendo
sibi eam per fidem non habentem maculam aut rugam. Quoniam ecce reges congrega
ti sunt. ut etiam aperte de gentium vocatione loquatur. Reges inquit gentium
cum sibi subiectis congregati sunt in unitate fidei catholicae. Convenerunt in unum.
vel in una fide. ut in unum montem Christum. Ipsi videntes sic admirati sunt. Sub re
ges gentium .i. intellegentes dispensationem redemptionis suae primo admira
ti sunt. vim divinae predicationis et maiestatis celsitudinem quae tanta mi
raculorum efficacia et laboris constantia prebebat apostolis. Deinde vero contur
bati sunt propter suos errores et peccata ac demum subsecuta est. vitalis commotio peni
tentiae. Nec solum hoc quin et tremor apprehendit. Ibi dolores ut parturi
entis. Non solum inquit tremore correpti. sed etiam dolore penarum. Nec qua
licumque dolore. sed maximo et ingenti quali solet esse parturientis .i. pare
re meditantis. In Spiritu vehementi .i. in acerrima in districtione futuri
iudicii. Conteres naves tarsis .i. superbiam et insolentiam potentum huius saeculi.
Sive etiam argumenta philosophorum et errores uti inventiones hereti
corum quibus volant per mare huius saeculi impulsi et agitati vento diaboli.
Sciendum autem quia cassiodorus hunc locum de nativitate Christi interpre
tatur. quem mox ut herodes natum audivit. sciscitantibus a se magis
regem iudeorum timuit perdere regnum iniuste usurpatum. Ideoque turbat